



Disputatio juridica de justitia et jure ad tit. 1 et 2 lib. 1 Instit. prima

<https://hdl.handle.net/1874/235049>





L. oct.
2809

GESCHENK

VAN

Den Welld Gertr Heer
M^r. H. H. J. Bogards





DISPUTATIO JURIDICA
DE
JUSTITIA ET JURE

Ad tit. 1. & 2. lib. 1. Instit.

P R I M A.

Q U A M

F. D. O. M.

S U B P R A E S I D I O

Viri Clarissimi,

D. PAULI VOET, Juris in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris ordinarij.

Publice ventilandam proponit.

LAMBERTUS GROEN, Busco-Ducensis.

Ad diem 17. Junij, horu locoque solitis.



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ Johannis à Waesberge,
M. D. C. L. IV.

Clarissimis, Doctissimisque Viris;

D. PAULO VOET, - Juris in Academia Ultrajectina Professori ordinario, Amittino meo & Præsidi honorando.

D. DANIELI BERCKRINGER,
L. A. M. Philosophiæ practicæ, atque eloquentiæ in almâ Academia Ultrajectina Professori ordinario.

D. DANIELI VOET, L. A. M.
Med. & Phil. Doctori, Logices & Metaphysices in eadem Academia Professori subtilissimo.

Præceptoribus meis, de me, studiisque meis optimè meritis, & indies merentibus.

Hoc Exercitium

In grati animi σφραγίδα

facrum facio

LAMBERTUS GROEN,

Resp.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JUSTITIA ET JURE.

Ad tit. 1. & 2. lib. 1. Instit.

PRIMA.

THESIS I.



Compendium Civilis scientiæ in Institutionibus traditurus Imperator, ab ejusdem fontibus atque rivulis jure merito orditur: præmissa justitiæ atque juris (quæ Philosopho practico materia debetur) explicatione. Ut enim non probe specierum natura citra Generis cognitionem percipitur, ita nec rite jura civilia percurruntur, nisi quædam generalia, è quibus ea vel ut hypotheses ad theses, vel ut determinationes speciales ad axiomata fluunt, præcognita fuerint. *Argum. §. 2. Inst. just. & jur. Rubr. atque l. 1. D. Rebus cred. Henricus Bracton vetustissimus leg. & consuet. Anglican. Scriptor l. 1. c. 2. §. 6. Ames. cas. consc. lib. 5. c. 1. n. 22. 23.*

I I.

Et cum quæ justitiæ atque juris rationem spectant, ut sunt juris civilis fundamenta, ex illâ deducantur disciplina, cui jus nostrum subjicitur. *Bract. loc. cit.* manifestum est, omnes illas difficultates, in quibus de naturali jure, deque secundum hoc licito aut illicito, disquiritur, nonnisi ex Philosophiæ practiciæ principiis, id est, ex ipso jure naturali esse decidendas. Adeo ut hic de facto plerique impingant, qui probaturi hæc aut illa juris esse naturæ, viri prudentis responsa è juris corpore depromunt. Contra rationem §. 2. *Inst. jur. nat. Gent. civil. junct. l. 1. D. leg.* Non equidem nego

A 2

etiam

etiam rationes naturales legibus civilibus contineri, non tamen eæ rationes tales sunt, quia *virorum prudentum consulta* l. 1. D. leg. sed quia in civitatem receptæ sunt & admiffæ, §. 1. vers. Et populus §. 2. vers. Sic enim, *inst. jur. nat. gent. civil.*

I I I.

Multo itaque minus, quæ de jure naturali disputantur, deque licito & illicito, honesto & inhonesto, opinione aut auctoritate hominum sunt discernenda, verum principiis practicis immutabilibus. *Argum. l. 1. D. Pact. l. 4. D. leg. Aquil. Lyciam. membran. l. 7. eclog. 30.* Neque enim quod consuetudine & more forte hujus aut illius gentis receptum est, statim jus est. Neque in arbitrio cujusvis erit positum, discernere quid sibi liceat aut non, multo minus, ut à meâ aut tuâ utilitate omne jus naturale sit mensurandum. *Arg. §. 2. junct. §. 11. Inst. jur. nat. gent. civ. Conn. Comment. jur. civil. lib. 1. c. 1. n. 3. Besold. ad tit. D. de just. & jur. n. 2. Bacchov. ad Instit. jur. nat. Gent. civil. §. 2. Diss. Archilam apud Laërt. l. 2. Hob. part. 1. c. 1. p. 13.* Secutus Thrasimachum illum Platonis, quid jus esse putabat, quod potentiori esset utile.

I V.

Minime etiam quid licitum aut illicitum, ex fine subordinato, sui scilicet ipsius conservatione est dijudicandum. Verum ex methodo præscriptâ in l. 2. 3. D. de just. & jur. Sicut qui aliter hic statuunt, in Deum, in rempublicam, injurios existere sit dicendum. Dissentit *Hobb. tract. 1. de cive. c. 1. p. 12. 13. &c.*

V.

Ne vero Imperator in methodo peccasse videatur, in ipsâ rubricâ tit. 1. *Instit.* Justitiam juri proponit. Idque non sine ratione. Præstantissima quippe virtutum, & ad quam veluti scopum collimat Jurisconsultus est ipsa justitia. Quæ ut Jurisprudentiæ finis, secundum analyticæ dispositionis regulas, priore loco erat collocanda. *Cujac. parat. D. de just. & jur. Lyciam. membr. lib. 7. eclog. 39.*

VI.

V I.

Neque tamen hinc necessariâ consequentiâ inferri velim, jus à justitia derivari. Et si enim à jure originem duceret justitia, fortior tamen esset ratio thesi superiori proposita, ut secundum eam ordine doctrinæ juri justitia esset anteponenda. Statuo nihilominus cum Ulpiano, semotâ Grammaticorum curiositate, qui oculos claudunt ad sapientiæ lucem, jus à justitia fuisse appellatum. *l. 1. in princip. D. just. & jur. Dissent. Donel. 1. comment. 4. wurmser. nucl. jur. enerv. l. 1. tit. 1. Besold. delib. jur. & comment. in pandect. l. 1. tit. 1.*

V I I.

Neque tamen justitiam in Ideâ, vel ut deam concipiamus, ut inde jus veluti à primâ causâ deducatur: verum ut habitum designat practicum. Ipsum vero jus, non pro ejusdem objecto, sed pro juris arte accipiendum esse censeo. *Argum. l. 1. D. just. & jur. & argum. rubric. init. §. 1. Instit. eod. Diss. Hottoman. Inst. H. Donell. wurmser. Besold. loc. cit.*

V I I I.

Justitiæ quod spectat definitionem à Triboniano propositam *init. Inst. h. t.* eam, si commodam interpretationem adhibere liceat, rejiciendam non esse, verum genere & differentiâ constare, defendi commode potest. *Dissent. Ames. Casuum consc. lib. 5. c. 2.*

I X.

An vero ea de justitiâ humanâ, an potius de divinâ sit accipienda, multum ambigitur? Veriorem eam puto sententiam, quæ priorem tenet partem per *Novell. 69. in init.* Rationes sunt, & quia talis nobis traditur justitiæ definitio, qui scopus est, & finis Jurisconsulti; quemque si non omnes saltem nonnulli assequantur, ut secundum juris præcepta vitam dirigant. Et quia Imperatori fuit propositum, mores hominum in hac civili societate ad Reipublicæ dirigere tranquillitatem. *wurmser. loc. cit. Donel. comment. 2. c. 1. Mynsing. Bacchov. h. Dissent. Hottom. Erasmi. Ungepaar. à wurms. cit. exer. 1. q. 10.*

X.

Nec minor contentio an ea de justitia in abstracto, an in concreto sit accipienda? Posterior mihi sententia videtur esse verior. Et quia definitur justitiæ habitus, quem in aliquo subjecto esse oportet secundum ejusdem subjecti conditionem. Et quia licet vir justus quandoque aberraret, non tamen definit animum habere propensum, tribuendi cuique constanter, quod suum est *in init. Inst. h. Novell. 6. c. 1. §. 8. Si vero suscepit. Diss. Coras. in l. 10. D. just. & jur. Bronchorst. Enantioph. cent. 1. Assert. 2. Wurmser. contr. 2. lib. 1. tit. 1. Besold. adl. 10. D. just. & jur.*

X I.

Quæque maxime inter interpretes agitata est controversia, an definiatur justitia universalis, an vero particularis? Priorem sententiam ut verisimiliorem amplector. Et quia quæ definitur justitia complectitur tria juris præcepta. Et quia omnes leges, quæ in corpore juris traduntur, ad eam, ut finem referri debent. Et quia ea virtutum appellatur præstantissima, quod justitiæ particulari applicari non potest. *Novell. 69. Dissent. wesemb. parat. h. Wurmser. l. 1. tit. 1. contr. 4. Besold. ad l. 10. D. just. & jur. Zoef. h. uti & D. tit. eod.*

X I I.

Neque tamen per justitiam universalem eam intelligo, quæ Scholasticis etiam dicitur legalis, seu publica, *Less. de just. & jur. c. 1.* Verum, quæ notat rectitudinem omnium nostrarum actionum, in quantum eæ legi sunt conformatæ, secundum quam Deo, patriæ, mihi met ipsi, proximo tribuo, quod est singulorum. *Argum. l. 2. 3. D. just. & jur. Diss. thesi preced. citari*

X I I I.

Post examinatam justitiæ descriptionem, ad juris, id est, jurisprudentiæ naturam transeunt interpretes, & mirum in modum in ea explicanda sese vexant, sic ut in multis nungentur potius, quam utilia tractent. Quia tamen ita facere consueverunt sequari & ego communem morem, ibique subtilitates quæram, ubi nullæ sunt. In primis sese offert decisio

cisio illius quæstionis. Anne juris ars à jurisprudentia sit aliquid diversum? id mihi non videtur. Cum enim jurisprudentia dicatur scientia, latissima, uti id interpretantur, significatione, sicque scientia cum arte confundatur. De eodem habitu in *l. 1. D. just. & jur. & §. 2. iust. eod.* loquutos fuisse Jurisconsultos, probabiliter defendi potest. Et licet distinctæ definitiones locis citatis traditæ videantur, eas tamen re ipsa convenire, tenendum est. Dissent. plerique. *Bocer. class. 1. disp. 1. thes. 1. Bacchor. vd Treutlev. disp. 1. thes. 2. l. 4. Besold. ad l. 10. D. just. & jur. wurmsfer. contr. 6. l. 1. tit. 1.*

X I V.

Neque placet, licet arguta satis distinctio, quam habet *Lycl. Membran. lib. 7. Eclog. 39. §. 1.* ac si jurisprudentia sit contemplativa, jus vero practicon. Potius sic statuo, jurisprudentiam; quæ mihi à jure distincta non est, scientiam esse practicam, adeoque earum rerum certam cognitionem, quæ ut ad usum applicari possunt, ita etiam sunt applicandæ. Neque hæc absona sunt dicenda, cum ab Ulpiano praxis & Theoria in una disciplina conjungantur. Probat enim nos esse juris sacerdotes, quia justitiam colimus, quod practicum est; nos æqui boniq; notitiam profiteri, quod Theoricum est. Cumque hæc duo arte juris complectatur, sit manifestum, quotquot hic inter jus & jurisprudentiam adeo anxie distinguunt, ab Ulpiano dissentire. *l. 1. in init. D. just. & jure.*

X V.

Unde amplius consequitur, præter rationem à nonnullis jurisprudentiam in Theoricam & Practicam divisam esse. Tota Theorica est, quia totius juris notitiam profiteamur. Tota itidem Practica est, quia secundum omnes leges nos vivere, & justitiam, quoad omnia membra colere oportet. *Arg. l. 1. D. just. & jur. Dissent. Besold. ad l. 10. D. just. & jur.*

X V I.

Colligitur amplius ex antedictis, jurisprudentiam in artem redigi posse; quod ita accipe; materiam omnem in corpore juris contentam, ad certam methodum posse revocari. Neque

que enim ipsum jus, aut jurisprudentia, quæ disciplina est, in artem, id est, disciplinam amplius est redigenda. *l. 1. D. just. & jure.* Et ratio est, quia omne cognoscibile per se ad ordinem potest revocari. Accedit & altera, quia distincta in jure datur materia, distinctus considerandi modus, principia certa, certæ causæ, sic ut nihil eorum desideretur, quæ ad artem constituendam requiruntur. *Diff. Costal. in Parerg. n. 6.*

X V I I.

Etiā hinc colligitur, eam ab aliis distinctam esse disciplinis, neque ulla ex parte cum divina prudentia (licet rerum divinarum in ejus def. fiat mentio) esse confundendam. *Lyclam. membr. lib. 7. Ecl. 38. Besold. Præcogn. ad P. tit. de just. & jur. l. 1. q. 3.*

X V I I I.

Non tamen ex apposis in def. verbis rerum divinarum, probe colligitur bonum Jurisconsultum neminem esse posse, qui malus sit Christianus. Uti censet *Tinnæus Faber disp. inst. 1. Thes. 5.* Uti & hinc perquam inepte ab *Antonio Fabro jurispr. Papin. princ. 3. iliat. 1.* colligitur, hæreticum, suo sensu, bonum Jurisconsultum non esse. *Besold. ad l. 10. D. just. & jure.*

X I X.

Nec firmior est eorum collectio, qui hinc inferri volunt, jurisprudentiam esse omnium disciplinarum maximam. *Bebio ad instit. h.* Neque obstat. *l. 1. s. proinde D. Extraord. Cognit.* Cujus farinæ sunt & sequentes illationes: Juris Professores non minus mereri oportere, quam sacerdotes, qui prædicent. Professorum juris violatores non minus incidere in crimen publicum sacrilegii, quam si quis sacerdoti manus inferat. *Andreas de Isernia, Baldus, Zasius, alique apud Bebionem citari.*

X X.

Id tamen coronidis loco defendi potest, Jurisconsultos Medicis, multis nominibus esse præferendos. *Argum. l. 1. s. 1. D. just. & jur. l. 2. s. 13. D. orig. jur. l. 14. Cod. Advoc. divers. judicior. Consentit Heig. part. 2. q. 26. Chass. catalog. Glor. mund. part. 10. confid. 25. Daniel Otto de jure publ. c. 19. Besold. tract. jure Acad. Dissentit Petrus Andreas Canonher. Et ab Heigio cit. Angel. Thius, Jacob. Sabarell.*

DISPU-